

Sed & alia loca supersunt, in quæ S. Doctor stabili doctrina mentem hæc suam testatam fecit. Accipe, quæ is protulit Lib. II. cap. 9. num. 31. de Cain & Abel. *Deus, inquit, Justos suos audit, etiam mortuos, quoniam Deo vivunt. Et merito pro viventibus habentur, quia etiamsi Corporis gustaverint Mortem, Vitam tamen incorpoream capiunt, & illuminantur suorum Splendore meritorum, LUCE quoque FRUUNTUR ÆTERNA.* Ad hæc subsequenti cap. x. num. 36. ait; *Inseritur hoc loco dogma de incorruptione Animæ, quod ipsa Vera & Beata Vita sit, quam unusquisque bene conscius vivit multo Purius ac Beatius, quam hujus Carnis ANIMA NOSTRA deposuerit involucrium, & quodam carcere isto fuerit absoluta Corporeo, IN SUPERIOREM REVOLAT LOCUM &c.* En quam longe Ambrosius abscedat a Burneti phantasmatis, a quo Animæ hinc migrantis dormire, ac veluti semisopitæ parum aut nihil operari jubentur. Ad Librum de Bono Mortis regredior. Ibi cap. III. num. 8. post laudata Apostoli verba, cupientis *Dissolvi, & esse cum Christo*, utpote multo melius, hæc addit. *Solutio autem ista quid aliud agit, nisi ut Corpus resolvatur & quiescat? Anima vero convertatur in Requiem suam, & sit libera? Quæ si Pia est, Cum-Christo Futura sit. Ubi vero futura sit illius Requies, rursus tradit hisce verbis: Itaque docet, & istam Mortem in hac Vita positam expetendam, ut mors Christi in corpore nostro eluceat; & illam Beatam, qua corrumpitur exterior, ut renovetur interior homo noster, & terrestris domus nostra dissolvatur, UT HABITACULUM NOBIS COELESTE RESERETUR.* Rursus cap. IX. num. 38. ejusdem Libri, optandam nobis mortem ait, quod Corpus, Vitoriam felicitet seminarium, in terram resolvatur; id autem, quod familiare Virtutibus, amicis disciplinis, studiosum gloriæ, sequax boni, Deo subditum est, ad illud sublime Evolet, & CUM illo PURO & PERPETUO BONO atque IMMORTALI MANEAT, IPSI ADHÆREAT, & CUM IPSO SIT. Sunt & alia id genus in eo cap. quæ missa facio. Hæc enim apertissima sunt documenta sententiæ Catholicæ: & quidem ex eo ipso Libro desumpta, unde Burnetus sua adversus nos decerpit. Verum si Ambrosius manifeste affirmat, Justorum Animas, deposito Corpore, *evolare in Sublime, cum illo Puro & Perpetuo atque Immortali Bono Manere, ipsi Adhærere, & cum ipso Esse*, quid ultra quærimus? De Apostolis vero & Martyribus quid a Deo factum jam fuerit, si Ambrosium percontemur, is secundum constantissimam primitivæ ipsius Ecclesiæ doctrinam, de qua supra actum fuit, hæc respondebit Lib. de Virginitat. cap. XVIII. num. 119. *Captus a Petro STEPHANUS minister Altaris, non reti sed hamo levatur, UT RIVO sui sanguinis ELEVARETUR AD COELUM.* Tum cap. XX. num. 131. *PETRUS homines elevavit, mare sprexit, COELUM AQUISIVIT.* Itidem de Paulo hæc habet Lib. II. num. 94. de Fide Resurrectionis. *Utique mortuus est PAULUS, & passione venerabili VITAM corporis CUM IMMORTALI GLORIA COMMUTAVIT.* Ita Lib. VII. num. 5. *Expos. Evang. Lucæ. Nec JACOBUS, & JOHANNES mortui, filii tonitrui,*

quæ